



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CLX. De Impugnatione castri Schonense & morte Divvani Capitanei  
Barthorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Hanno de Sangerhausen VII. Magister Gen. Ord. Teut.  
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. Prussia.*

## ANIMADVERSI O.

(a) Eodem modo legit Jeroschinus. Sic enim reddidit verba Dusburgii Germanicè:

Und irschlugen in dem Luder  
Zwen und einen Halbbruder  
Unde Wapener genug.

Codex verò Thoruniensis habet: *Et duos Fratres cum aliis armigeris occiderent.* Consentit cum eo Auctor Chronici Germanici antiqui in Biblioth. Regiomont. qui dicit: *Zwe Bruder und XV. Wapener.* Non est tamen dubium, quin Dusburgius eo modo hæc verba scripserit, ut à nobis supra sunt exhibita, cum & Jeroschinus ea retinuerit. Per dimidium autem Fratrem dubio procul intelligit Novitium, qui nondum plenè in Fratrum numerum erat receptus.

## CAP. CLX.

De

*Impugnatione castrì Schonense & morte Divvani Capitanei Barthorum.*

DEmum Dyvvanus Capitaneus Barthorum cum octingentis viris obsedit castrum Schonense, & juravit per potentiam Deorum suorum, quod nisi cito traderent castrum in manus suas, ipse tam Fratres quam armigeros, suspenderet antè portam castrì. In hoc castro non fuerunt nisi tres Fratres & pauci armigeri, quibus armigeris induerunt fratres pallia sua & parmas ad terrorem obsidentium, ut fratres plures apparerent. Quo factò dum ordinatis ex utraque parte, quæ ad impugnationem castrorum sunt necessaria, ad impugnationem accederent, vulneratis de hostibus pluribus & occisis, frater Arnoldus (a) Crop sagittans cum balista dictum Dyvvanum per collum transfixit. Quo mortuo, alii infecto negotio recesserunt. Isti Dyvvano

bla-

*Hanno de Sangerhausen. VII. Mag. Gen. Ord. Teut.  
Conradus de Tierburg IX. Mag. Provinc. in Prussia.*

blasphemo accidit sicut Heliodoro, qui cum vellet in templo divinum ærarium depraedari, occisus à DEO concidit in terram, & qui cum multis consortibus & satellitibus ingressus fuit, nullo sibi auxilium ferente, in sella gestatoria portabatur.

ANIMADVERSIO.

(a) Alii Kropff/ alii Kopff.

CAPUT CLXI.

De

*Expugnatione duorum castrorum quorundam Feodatariorum in Terra Colmensis, scilicet Hemsol & alterius.*

POSTremo (a) Scumandus Sudovvitarum Capitaneus cum maximo exercitu Sudovvitarum & Pruthenorum terram Colmensem IX. diebus rapinâ & incendio vexavit. Infra quos IX. dies dum appropinquare cœpit Civitati Colmensi, quidam miles de Polonia dictus (b) Ninerik prædictam civitatem intravit, quam ipse miles promisit se ad manus dicti Scumandi traditurum. Undè dum visis hostibus cives mœnia ascenderent, ascendit & iste, sicut idem traditor dedit ei signum, sic una & altera vice sufflavit cornu suum, quò auditò cives perterriti dictum militem ceperunt, & comperto, quod voluit eos tradere, ipsum & filium suum cum uno famulo ante portam civitatis suspenderunt. Scumandus videns se deceptum, processit ad castrum (c) Hemsoth & ipsum potenter expugnavit, & XL. viros qui ad custodiam ejus deputati fuerant interfecit. Deinde castrum alterius feodarii militis, dicti (d) Cippel, potenter & hostiliter intravit, & occisis & captis omnibus inibi existentibus, utrumque castrum in cineres est conversum.